



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 7. Gualteri Burgensis, itemq[ue] Roberti Grossetest, ad diuinum
iudicium Indices magnos vocantium vindicata iniuria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

non frustra, ad Dei tribunal provocasse. 103

§. VII.

*Gualteri Burgensis, itemq; Roberti Grossetest,
ad diuinum iudicium Indices magnos vo-
cantium vindicata iniuria.*

Gualterus Burgensis pro se idem fecit. Erat is vir doctrina & sanctitate clarus, perque iniuriam Episcopatu Patauensi priuatus & expulsus à Clemente V. Nempe hoc volebat eum Deus pati, propter regnum cœlorum. Et passus est patienter, quoad vixit. Moriens tamen, ne & alijs eiusmodi iniuria irrogaretur, iussit sepulchro suo incidi: AD IVSTVM DEI IVDICIVM APPELLO. Incidit in hanc epigraphen Clemens, & fertur iniuriæ, quam intulerat, memoria expauisse: addunt alij, non diu post, obiisse. Nec mirum est Gualterum, in vita patientem, in morte appellauisse. Ita & David moriturus Salomoni filio quosdam nominauit puniendos, quibus, in vita, pepercerat. Vtrumque sancti quærunt, & præmium patientiæ, & iustitiæ exemplū. *Vindicta Martyrum est*, ait S. Augustinus, *ut euertatur regnum peccati, quo regnante, tanta perpeSSI sunt. Quin omnes sancti, postulant se vindicari, non voce, sed ratione, sicut sanguis Abel clamauit de terra. Latantur*

Raphael
Volater-
ran. an-
thropola
l. 21.

S. Aug. 1.
de serm.
Domin.
in mon.
ce. 6. 459

G § autem

*Psal. 57.
11.*

*Cestren-
sis lib. 7.*

*Martinus
Delt. lib.
4. disquis.
Magicar.
cap. 4. q.
4. sect. 1.*

autem de vindicta, non propter vindictam, sed propter diuinam iustitiam. Hoc modo, *Larabitur iustus, cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris;* cui prius in illius sanguine manus lauit; quid dico lauit? inquinauit. Admodum simile est, quod Cestrensis memorat, de Roberto Grossetest dicto Lincolnensi, magnæ, illa ætate, inter Philosophiam professos, famæ, quem Innocentius IV. excommunicauerat. Refert enim, Robertum ad Deum iudicem prouocauisse, Pontificemque ad Dei tribunal citatum, eodem die, defunctum, quo Robertus defunctus est; auditamque, in Pontificia aula, vocem: VENI, MISER, AD IUDICIUM. post hanc vocem, sequenti die, Papam in lecto exanimatum repertum, ac liuidam in eius latere cruentamq; plagam, tanquam si fuste percussus fuisset. Hoc accidisse scribit Anno 1253. cui consentiunt Matthæus Parisius, Ioannes Buriensis, & alij Britannici scriptores; licet alij scriptores nullam de hac re faciant mentionem. Vnde Delrius suspectæ fidei esse iudicat narrationem. Sed suppetunt alia quoque complura exempla, tam eorum, qui sua, quam qui aliorum causa appellauerunt.

§. VIII.